



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

33. An permutantes beneficia sine Superioris permissu incidant in censuras, & alias pœnas ut Symoniaci? Idem est de reservantibus sibi pensionem sine Papæ auctoritate. Et an Superior sufficiens ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

De Simonia, &c. Resol. XXXIII. 331

cessario non debeant, quæ sunt acquisita, collataque legitime.

7. Sed dicendum est in primo illo Canone, agi duntaxat de foro exteriori, & de dispensatione in illo obtinenda, cum enim hæc haberi nequeat, nisi beneficium dimittatur, & fiat nova collatio, mirum esse nulli debet, si id Pontifex fieri imperet.

8. Ex secundo, argumentum peti nullum efficax potest, ad ejus rei fidem, quam auctor propositam habet, quia etsi in odium simoniæ, Papa beneficium illico dimitti velit, & hanc in eo admissam esse constat, contendendo tamen nullam in eo Can. penam addi, quæ voluntatem in Pontifice indicet obligandi sub mortali, ad petendam novam collationem beneficij simoniacæ collati ignorantibus, ubi id factum esse causa sua per amicos intelligit, quare peccabit, si Pontifici morem non gesserit, impetranti beneficium, ita acquisitum, relinqui, non tamen mortaliter, nisi forte ratione scandali, quando ejus simonia est omnibus nota, aut ex contemptu Ecclesiæ parere renuit, neutrum si erit, eaque dimissio ob causam legitimam omittatur, nullum erit peccatum, talis est futura, si simonia erit occulta, & non expediat eam sciri, ne ipse sibi aliusque creet infamiam.

9. At enim (inquit) qui est simoniacæ, ignoranter tamen, de beneficio provifus, fructus suos non fecit, quos provide restituere omnes est necesse, quod non accidit, si fuisset ejus collatio valida.

10. Major est falsa, cum talis pœna non legatur in ullo Canone, tam ante, quam post simoniæ admiffam, non tamen in ista. Verum negari nequit (inquit) quin ei dispensatio sit necessaria. Omnino, sed in foro duntaxat exteriori, ne puniatur, & beneficio privetur. Dices tertio, collationes beneficiorum omnes, in quibus intervenit simonia, ita decernente Paulo II. nulla esse. Respondendum loqui in sua Extravag. Pontificem de his duntaxat, qui sciunt, & ex industria simoniam contrahunt, de ignorantibus sermonem ei nullum esse, sit pro argumento, quod Pontifex simoniacos ipso facto excommunicatione percussos esse velit, qualis in ignorantes, utpote innocentes non cadit. Hucusque Baunius, qui etiam obsevat hanc suam sententiam Lessium de justit. lib. 2. cap. 3. dub. 25. numer. 1. 44. tanquam probabilem admitteret ego non recedo a sententia, quam docui, nam illam in praxi amplectam video in hac Romana Curia, in qua scribo. Nec desera hic etiam observare doctrinam Parisij de confidentia questione 14. numero 34. loquentis: Et hic non omitam, quod forum conscientie ligat, & validat actum, in quo est prætermiffa forma tradita, vel non servata, dummodo dolus non intervenerit. Innocent. in cap. quia propter, de election. Ioann. And. & Abb. in cap. is qui de sponsal. Abb. in cap. 1. de constit. ubi Felinus, & Decius numero 28. 29. Gemin. in cap. 1. per illum textum de sponsal. in 6. Ancharan. in cap. beneficium questione 7. de regul. jur. Iason in l. si non sortem numero 4. ff. de condit. indeb. Gig. de pens. questione 34. numero 8. Quod nota pro eo qui non publicavit resignationem juxta Gregorianam, non emisit professionem fidei, non fuit approbatus ab examinatoribus electis in Synodo Diocesana, habuit beneficium per electionem non servata forma tradita à jure, vel præsentationem patroni elapso tempore, aut per collationem non habentis facultatis, vel habentis, & non valentis conferre propter excommunicationem, suspensionem, aut alienam causam. Nam illi omnes videntur tuti in foro conscientie, Abb. in cap. 1. de integ. restitutione, ad finem. Anchar. Reg. 1. de reg. jur. 9. 7. col. 34. Tiraquell. in tract. de leg. comm. gloss. 2. n. 20. Boët. decis. 1. n. 15. cum aliis allegatis per Covat. in cap. cum esset, n. 5. de testam. & in reg. peccatum

§. 3. num. 9. Dominicus Soto lib. 4. de just. & jur. q. 8. art. 3. & plura exempla hujus notabilis conclusionis affert Nicom. in cap. quoniam contra, par. 1. num. 682. de probat. Hæc omnia Flaminius ubi supra. Sed hanc sententiam Georgius Branden super concordatis inter Sanctam Sedem, & Nationem Germanicam, q. 5. n. 13. putat non esse extendendam, sed omnino restringendam ad forum conscientie purum, hoc est, quando defectus formæ, vel tituli est ita occultus, quod probabiliter nemo alius cogitationem de eodem defectu habebit, & ex petitione novæ provisionis, vel dimissionis beneficij, provifus pateretur magnum damnum status, vel famæ. His duobus concurrentibus, titulum alias de jure nullum in foro conscientie sustineri, recte ex mente allegatorum DD. assentimus.

11. Notandum est etiam hic obiter, quod docet Comitulus lib. responsionum moral. q. 41. Episcopum jure suo dispensare posse cum promotio simoniæ in minoribus ordinibus, & prima tonsura, item ut in majori ritè suscepto ministret, non autem in eo, quem per simoniam recepit, neque ut ad alios ordines possit ascendere.

12. Quod de eo tantum debet intelligi, qui sciens, & volens viam sibi ad ordines facit per simoniam, ab eo enim, qui ignoravit datum fuisse pro se ordinati pretium, suspensio nulla incurritur; Navarrus cap. 15. numero 68. Henriquez libro 3. capite 37. numero 4.

13. Ratio est, quod culpa caruit in susceptione ordinis hoc modo, potest ergo, quia simoniacus non est, remanere in suo ordine, in c. de simoniaci, tit. de simon. Vide Baunium loco cit.

Sup. hac ignorantia sup. in tr. 3. Ref. 55. & in aliis ejus primæ not.

RESOL. XXXIII.

An permutantes beneficia sine Superioris permiffu, incidunt in censuras, & alias pœnas, ut simoniaci?

Idem est de reservantibus sibi pensionem sine Papa auctoritate.

Et an Superior sufficiens ad permutationem sit Episcopus vel alius Prælati inferior, ad quos collatio beneficij, aut institutio spectat, & non in aliis?

Et an inter se beneficiarii possunt tractare de permutatione, accedente auctoritate Superioris futura?

Et an sit necessaria aliqua causa in permutatione beneficiorum?

Et in textu hujus Resolutionis explicatur aliqua causa pro praxi hujus ultima difficultatis: Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 17. alias 16.

§. 1. **N**egativam sententiam tenet Petrus Navarra lib. 2. de restit. cap. 2. n. 436. ubi sic ait: Tandem colligo, an prædicta de excommunicatione, & restitutione, tam beneficij, quam fructuum accipienda sint de simoniaco, contra jus positivum, ita ut si duo permutent beneficia traditione sequuta, sine licentia superioris, sint excommunicati & uterque beneficio ipso facto, privati, fructusque perceptos, & consumptos restituere teneantur? Et sanè videri posset alicui quod dictæ pœnæ talibus à simoniaciis incurrantur. Primum, quia in cap. cum olim de rerum permutatione, prohibetur pactum inter beneficia sub privatione beneficiorum. Secundò, quia in Extrav. 1. fulminantur illæ pœnæ contra simoniacos. Constat autem in jure, esse verè simoniacos, qui sine licentia superioris dant unum spirituale pro alio, ut supra latè probavi. Vnde in cap. questum de rerum permutatione dicitur labem continere simoniam. Si igitur in jure tales simoniaci dicuntur, sequitur sub illa Constitutione Pauli II. comprehendi, maxime quia ibi dicitur

Sup. hoc sup. in ref. 6. §. 1. cursum ad med. à vers. quod proinde, & in ref. 7. §. Nota etiam breviter ad lin. 10. & in ref. 8. & in ref. 30. §. Nota vero in fin. & in ref. 5. §. 1. in fin.

Sup. hoc in
Resolutioni-
bus, & §§.
not. præter-
ea.

quomodo libet dando, vel recipiendo, quasi dicat, etiam si non detur spirituale pro temporali, sed unum spirituale pro altero, ex pacto, secuta traditione. Atque hæc quidem videtur communis sententia. Ego, si audiendus sum, nunquam credidi, sic agentes esse excommunicatos, aut privatos beneficiis ipso jure: atque idem est de reservantibus sibi pensionem, sine Papæ auctoritate. Moveor ea ratione, quia nullum est jus, quod de hoc genere simoniæ loquatur, scilicet de beneficiarum permutatione vel unius rei spiritualis pro alia, quod habet aliquam penam ipso facto annexam. Nam in cap. cum olim de rerum permutatione, quod loquitur de permutantibus beneficia, solum habet penam privationis beneficiorum ferendam tamen, excommunicationem vero nullam; cap. autem, cum pridem de pactis & cap. insinuatum, de simonia, omnia loquuntur de pena ferenda neque in ullo eorum de excommunicatione aliquid. Imò si rectè consideres: Nec ad hanc penam ferendam agunt ad propositum: cum ibi sit sermo de simonia proprie & strictè, quando accipitur temporale pro spirituali. Vnde solum potest probari contraria sententia per d. Extravag. 2. de simonia, & Concil. Constant. quod in ea relatum est. At neque ex hoc probatur prædicta opinio: cum enim prædicta Constitutio nihil aliud dicat, quam quod simoniaci illas penas ipso facto incurrant, non debet extendi ad eos: qui permutant beneficia: est enim materia penarum, & earum gravium, atque adeò restringi debet vocabulum, & in propria accipi. significatione: constat autem propriam significationem, & strictam verbi, simonia, esse emptionem, & venditionem rei spiritualis pro temporali, quod est jure naturali, & divino prohibitum. Licet enim verum est ut supra diximus, jure vocari simoniam dationem unius spiritualis pro alio non gratuito, seu ex pacto, tamen revera hoc est in lata significatione, & extensa vocabuli, non in propria, & stricta, in qua mea sententia competio Covarruviam lib. 1. *Varia. resol. cap. 5. num. 3. in fine, & num. 5. vers. item, quod videmus non displicet*, imò Navarr. clariùs loquentem, cap. 23. num. 105. in fine. Per hæc patet, ad rationes à me pro hac ratione factas, cap. enim olim privationem habet beneficiorum, ferendam tamen, ut patet legenti. Ad secundum etiam solutio patet: licet enim tales permutantes, vel pensionem reservantes, aut quovis alio modo conventionem exequentes, in rebus spiritualibus, in jure verè simoniaci appellantur, tamen in materia penarum, non oportet eos intelligi cum non strictè, sed extensione quadam vocabuli, dicti sint simoniaci. Ad illud, quod Extravag. dicit: *Quomodo libet dando, vel recipiendo*. Respond. solum prohiberi modum non obiectum. Non enim dixit, quodcumque dando, vel recipiendo: nam eo ipso quod datur spirituale pro temporali quomodo libet fiat sive pecunia, sive servitio, sive munere à manu, vel lingua, incurritur prædicta pena ipso facto in beneficiis. Hucusque Nav. cui etiam adde Petrum Aragon. in 2.2. *quæst. 100.* & ita hanc sententiam de rigore juris disputativè posse defendi putavit Binsfeldius de simonia in rubrica fol. 67.

2. Sed ego proflus existimo contrariam sententiam tenendam esse tam practicè, quam speculativè. Dico itaque, quod permutatio beneficiorum, & cuiusvis juris spiritualis beneficia concernentis, si fiat auctoritate privata est illicita, & simoniaca contra prohibitionem Ecclesiæ; habetur cap. cum olim cap. *quæsitum de rerum permutatione. cap. majoribus de Præbendis, cap. ult. de pactis*: Ita est communis Doctorum sententia, ut videre est in Rebuff. in *punct. 3. p. tit.*

de permut. num. 52. Vgolin. tab. 1. cap. 27. Redondo tit. de simonia part. 3. cap. 3. & 23. Suar. lib. 4. cap. 31. num. 8. Valen. *disp. 6. quæst. 16. part. 3. vers. ac videtur cap. 1659.* esto contra teneat glossa & Innocent. in cap. *quæsitum de rerum permutatione*, dicentes prebendas ejusdem Ecclesiæ, & ejusdem rationis posse permutari privatim, sed Hostien. Panormit. & alijbi, & Doctores supra relati non admittunt exceptionem, & meritò, quia jus non admittit, cum prohibitio sit generalis. Quod à fortiori procedit in casu, quo permutatio fieret in manibus Superioris, & permutantes inter se convenirent de danda pensione, & qui pinguius beneficium in alium resignavit, aut permutavit ut bene dicit Valen. *quæst. 16. part. 3. vers. ut sic. tertio modo, pag. 659.* & Man. Rodriguez 2. tit. Summ. cap. 65. numero 6. cum Aragon. *quæst. 100. art. 4. vers. est aliud dubium in 3. conclus. part. 1121.* Ex hac conclusione infero cum Lessio lib. 2. cap. 35. *dub. 17. numer. 110.* & multis aliis, quos refert, & sequitur Nicolaus Garcia de *benefic. 11. part. cap. 4. num. 6.* permutantes propria auctoritate beneficia aut jus ad illa esse, esse actum irritum, & nullum; ac proinde non posse propria auctoritate beneficium tenere, Superiorem tamen posse in penam commissi criminis eos per sententiam beneficiis privare, ut patet ex cap. olim 7. de rerum permutatione, non tamen amittere ea ipso facto, imò neque incurrere censuras secundum probabilem sententiam. Et hæc omnia docet Castrus Palas tom. 3. tract. 17. *disp. 3. punct. 15. num. 3.* Cui adde Ioannem Vvigers de *luff. tract. 7. cap. 4. d. 14. m. 583.* qui etiam observat quod Angelus *verb. permutatione, n. 5.* & Sylvest. eodem, 2. q. 2. existimant superiorem sufficientem ad permutationem non esse Episcopum solum, vel qui Episcopalem jurisdictionem habet, sed quando ad illos non spectat talium beneficiorum collatio, tunc sufficere posse etiam Prælatum inferiorem, ad quem collatio, aut institutio spectat, quod & D. Soto lib. 9. q. 5. art. 2. & *quæst. 7. art. 2.* videtur supponere, ubi sub disunctione loquitur de Episcopo, vel eo, ad quem collatio spectat quamvis ex professo hoc non disputet: & videtur posse colligi ex cap. unico de rerum permutatione num. 6 in quo dicitur, illos tamen, qui secundum formam juris sua beneficia in eadem Diocesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, &c. ubi urgeri potest illud, ad tuam collationem spectantia, quia videtur indicare permutationem beneficiorum, quæ non spectant ad collationem Episcopi, ad eum non pertinere. Est quidem ista opinio contra communem: ubi tamen est in longa praxi, & quasi præscripta poterit servari, quamvis non foret satis tutum ubi non est in usu, eam introducere. Sed licet hæc omnia optimè à Vvigers dicta sint, tamen sententia Angeli, & aliorum est satis probabilis, & ut talem defendit Suarez de *simonia lib. 4. cap. 3. 2. num. 18.* & videtur probari ex cap. unico de rerum permutatione in 6. ubi approbatio, & consensus Episcopi requiritur in permutatione beneficiorum, quæ ipse conferre potest, non 4. *notandum in aliis, dicitur enim ibi, qui secundum formam juris sua beneficia in eadem Diocesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, libere, & sine nem spectantia permutare volentes, libere, & sine fraude in manibus tuis ipsa resignant.* Ergo quæ ad collationem Episcopi, non pertinent, non tenentur in manibus Episcopi resignare. Ratio verò est, quia consensus Episcopi in permutationibus idè spectatur, quia sine illo nec renunciatio beneficii, nec alterius obventio fieri potest; cum ergo possit absolute beneficium resignari, aliudque de novo obtineri sine Episcopi consensu, quando ad illum collatio, seu institutio non spectat, non est cur dicamus, esse necessarium ejus consensum: & tandem quia ille Prælati, ad quem collatio beneficiorum spectat, habet in

De Simonia, &c. Resol. XXXIV. 333

in hac parte jurisdictionem Episcopalem; si quidem beneficiorum collatio propria est Episcopi, cap. omnes Basilica 19. quasi. 7. Ergo quoad tales actus recte comprehendi potest sub nomine Episcopi. Et ita ex his rationibus Palaeus ubi supra num. 5. hanc sententiam tanquam probabilem tueretur.

3. Sed hic quaero primo, an inter se beneficiarii possent tractare de permutatione, accedente auctoritate superioris futura? Aliqui negant; ita enim sentit Hostiens. in d. cap. quassum, quem sequitur Ioannes Andreas, ut citat Panormitanus, fiver illud ipsum cap. & cap. Cum olim supra citatum; ubi videtur damnari omnis pactio, & consensus partium in permutationem praeveniens prolationem Superioris. Faver etiam cap. cum universorum, & ibi glossa eodem; ubi damnari videtur factum eorum, qui incipiunt tractare inter se de permutatione suorum Praebendarum, antequam Superiorem consulant. Sed omnino dicendum est licere partibus interesse tractare de futura permutatione, si superior consentiat: est communis. Sylvestri supra, Panormitani in d. cap. quassum, qui citat Innocentium; Rebuff. de permutat. num. 52. Glossa in Clementinam unicam, eodem. & aliorum; Confirmatur ex praxi totius orbis Christiani, & quia huiusmodi contractus plane resolvuntur in conditionem, adeoque in consensum Superioris. Neque debet haec conditio haberi pro impossibili, ut iura solent habere conditionem illam, quae pendet à sola Principis voluntate ut patet leg. continens, §. cum quis ff. de verb. oblig. hic enim consensus non fertur in praesens, sed in futurum, & non expectatur dispensatio Superioris sed ordinaria quaedam validatio, & auctoritatis impertitio.

4. Quarta secundo, An sit necessaria aliqua causa in permutatione beneficiorum? Respondeo, cap. quassum. De rerum permutatione, indicari debere in permutatione intervenire necessariam aliquam causam. Quod non ita accipiendum, quasi pro Ecclesiis, vel beneficiis, vel communi utilitate citra aliam necessitatem non liceat permutatio. Si enim qui utilis est Ecclesiae in hoc suo beneficio, utilis sit futurus in alio, iam satis iusta est causa permutandi, ut docet in illud cap. Panormitanus, & hoc ipsum indicat Pontifex in fine cap. iustum finem personae exerceat. Erit etiam iusta causa, si permutans uno loco commodius propriae salutis sit consulturus. Indicat D. Thomas in 4. diffinit. 25. quasi. 3. art. 3. ad 8. Si vero fiat permutatio solum pro aliquo commodio temporali alterius, vel utriusque partis, est simoniaca secundum eundem D. Thomam. Non tamen damnandus erit simoniae, qui in hoc beneficio non inveniens congruam sustentationem, cum alio qui tanta sustentatione non indiget, sine fraude conscientie permutat, quia beneficium eius pinguius est, & ad necessariam sustentationem sibi utilis: hoc si sum enim etiam ad decorum Domus Dei cedit, quod in ea non indigeant ministri; secundum illud Malachie 3. sit cibis in domo mea, & probate me super hoc, &c. Similis ratio erit, si Clericus permutet, quia in loco sui beneficii perpetuas, & assiduas habet inimicitias vel incommodum patitur propter aeris intemperiem. Vide Mald. de Simoni tractatu 9. capite 3. dubit. 10. & alios ubi supra.

RESOL. XXXIV.

An sit peccatum simonia dare aliquid Titio, ut Caium adscribere faciat inter Equites D. Iacobi, Calatravae, Alcantarae, &c?

Et explanatur, quod dans vel accipiens aliquid pro in-

gressu Religionis ligatur excommunicatione, Summo Pontifici reservata, in Extravag. 1. de simonia.

Sed notatur ad facilius impetrandam suam receptionem in aliqua Religione posse quem gratis, & sponte praebere munera Superioribus vel aliis; imo in tali casu pactum adhibere posse.

Et an quis probabiliter sustinere possit supradictos ordines D. Iacobi, &c. non esse vere Religionem?

Et an sit simonia, si Rex vendat las Encomendas supradictorum Ordinum, vel saltem sit peccatum mortale? Ex p. 3. tract. 2. Ref. 64.

§. 1. **A**ffirmative respondet Azor. 10. §. lib. 12. c. 16. Sup. hoc in 9. §. quia per preces Titij via ad ingressum in Religionem paratur Caio, & sicut Caius pecuniam dare non potest, ut in Religionem admittatur, sic etiam non potest dare, ut sibi viam parat ad ingressum in Religionem. Ita ille, & dans, vel accipiens aliquid pro ingressu in Religionem, ligatur excommunicatione Summo Pontifici reservata in Extravag. 2. de simonia, ut notat Reginaldus tom. 2. lib. 23. cap. 12. num. 173. & alij.

2. Sed his non obstantibus ego existimo supradictam opinionem Azorij procedere, quando Titius daret Caio illam pecuniam, tanquam pretium emendi habitum illorum Ordinum, quod licite fieri non potest ex cap. quoniam, & cap. non satis, de simonia, secus autem si illam pecuniam praebere Caio gratis, & liberaliter, vel in remunerationem laborum, licet excederet eorum mensuram; nam in isto casu possunt adesse duo contractus, ut ego ipse notavi * in part. 2. meorum. Ref. moral. r. 2. Miscel. ref. 39. Vnus scilicet emptionis laboris: & alter liberæ donationis, & ita hanc sententiam expresse collegi ex D. Thom. in 2. 2. quasi. 100. art. 3. ad 4. & illam tenet novissime Bartolomaeus de Vecchiis in praxi novit. d. ffur. 1. dub. 3. n. 1. & alij communiter asserentes ad facilius impetrandam suam receptionem in aliqua Religione, posse quem gratis, & sponte praebere munera Superioribus vel aliis. Imo ego puto in tali casu licite pactum adhiberi eo tamen modo, quo explicavi cum Valentia 10. 3. diff. 6. quasi. 16. punct. 3. & Adamo Tannero in 2. 2. D. Thom. diff. 5. quasi. 8. dub. 3. num. 76. in dicta resolutione loco citato.

3. Deinde notandum est, quod habere habitum dictorum Ordinum secundum communem hominum existimationem est quid honorificentissimum; ergo quando quis praebet pecuniam pro ejus susceptione, non intendit mere, ut ita dicam Religionem, sed honorem illum pretio aestimabilem, quem confert habitus dictorum Ordinum, & sic Villalobos in summa tom. 2. tract. 37. diff. 14. num. 5. sic asserit [El que compra el habito, no quiere comprar la Religion, que antes le pesa con los votos, quæ estan per accidens conjunctos al habito, y el no quiega sino la honray renta, que es à qui lo principal, y lo demas accesorio.] Igitur nullo pacto committitur in tali casu simonia.

4. Adde etiam, quod quis probabiliter sustinere potest supradictos ordines non esse verè Religiones unde cessat ratio adducta ab Azorio ubi supra, & ita tenent Doctores, quos citat Sanchius in select. diff. 49. num. 12. Garzias de benef. tom. 1. part. 1. cap. 4. num. 16. Barboia de potest. Episcop. part. 2. alleg. 12. num. 46. & quos ego ipse citavi in 1. part. tract. de immunit. Eccles. resolut. 49. quibus nunc addo Ioannem Franciscum Suarez in Enchiridio casuum conf. lib. 3. ver. Religio. Bonacinam in Bull. Cæn. disput. 1. quasi. 16. sect. 1. punct. 3. num. 16. Alterium de cens. tom. 1. lib. 5. diff. 16. cap. 1. Zanardum in direct. Theol. part. 2. prae. 4. cap. 31. Narbonum

Sup. hoc in ref. seq. & in ref. 1. post seq. §. penult. in fine.

Quoad hoc in §. seq. lege à lin. 7. ante fin. vers. asserentes ad facilius.

* Quæ hic est sup. ref. 24. & in aliis eius primæ, & secundæ annot.

Sup. hoc in Ref. seq.

Quæ nunc est in tom. 9. tr. 2. Refol. 262. & ibi in ref. 167. & hic in Ref. 1.